



# INDEX.

## A.

- De fentimonijs. no.  
Antiratgeorij. 1.  
Accrescendi jure. 41.  
Arbitrio Compromisario. 24.  
Adiutorum concepcionē p̄r̄. 26.  
Actioē fam. erificūndi. 27.  
Appellatione. 30.

## B.

- De Bona fide. 10.

## C.

- De Coniugali impotentia. 4.  
Casū fortuito & lib. mūtūat. 16.  
creditoris p̄fugioē pignor. 19.  
collegij opificium. 22.  
conceptione aōum p̄ rem 26.  
Compromisario Arbitro. 24.  
crimine lēse Majestatis. 36.  
canonica p̄gatione. 42  
43

## D.

- de Dominio. no.  
Defensorae iudiciale. 25.  
Delictis innominatis. 40.  
Dolo malo. 35.

## E.

- De Emancipatione. 3.  
Emphykēsi. 18.  
Erificūndi famili. ad. 27.  
Exercitioī Pecunia. 34.

## F.

- De Falsis. 38. 39.  
Fide bona. 10.  
Felonie. 46.  
Familia Erifica. ad. 27.  
Feudi oppignorac. 20.  
Fortūbi casū & liber. mīl. 16.

De Impotencia Coniugali.	1.
inofficio solito.	
jure Strores eadi.	
Judicis.	
judicati defensore.	
interdictis.	
judicis Postfagijs.	
incendio.	
innominatis delictis.	40.
irrogandi poenitentia.	41.
investitura formularia.	45.

## L.

De Lenitate in irrogandi poenis. qd.

M.	
De Manifestatione.	
Misericordia postfagiæ.	30.
malo dolo.	33.
majestatis Crimine.	35.
militare Privilij.	34.
	5.

N.	
De Novi operis nunciatæ.	13.

O.	
De Opificum collegijs.	
opignoracœ fendi.	22.
operis novi municijæ.	20.
	13.
P.	
De Recunia Executiois.	34.
Privilij.	
privileiū.	2.
Proprietate rerum.	5.
Postfagiæ?	6.
Postfagiæ credit. in pign.	9.
postfagijs judicis.	19.
Postfagioum miseriad.	29.
Purgacœ Can. & Vulgar.	33.
Poenas irrog. lenitas.	42.
	43.
	44.

R.	
De Rerum proprietate.	6.
Resignationibus.	15.
Reatu acutum concepsioe.	16.

	S.	no.
De Sequestro.	-	19.
Soritate.	-	21.
Soto Vellej.	-	31.
Simultanea investitur.	-	45.

	T.	no.
De Titulo.	-	8.
Testamento inoficio.	-	11.

	U.	no.
De Vellej. Soto.	-	31.
Vulgari purgaoe.	-	42.

27

D. O. M. A.  
DISPUTATIO JURIDICA  
*Dē*  
**CONCEPTIONE**  
**ACTIONUM PRO-**  
**PTER RES,**

*Quam,*  
Consentiente  
**MAGNIFICO ET SPLENDIDISSIMO JCTORUM**  
**LIPSIENSIVM COLLEGIO,**  
Manuductore & Præside  
**VIRO**

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo*  
**DNO. QUIRINO SCHACHERO,**  
Phil. & J.U.D.P.P.P. Judicij Appellationum Electoris  
Saxonie Consiliario Gravissimo, Juridicæ Facultatis  
nec non Consistorii Ecclesiae Lipsiensis  
Seniore Specatissimo,

Præceptore, Patrono & Promotore multis nomi-  
nibus colendo, venerando;  
*Publico Eruditorum Examini submittit*  
**JOHANNES-JACOBUS AB HARTIG, Sitta-Luf.**  
*Auth. & Resp.*


In Auditorio Jctorum Petrino

*Ad diem X. Maii,*

*An. CIO Ioc LX.*

Typis RITZSCHIANIS.





D. O. M. A.



Vemadmodum omne tempus aut præteritum, aut præsens, aut futurum: Itares omnes, qvæ temporales sunt, sua aliquando cepisse initia, agere incrementa, pati decrementa, sortiri demum exitus, omnibus vulgo notissimum: Ea enim omnia, qvæ jam sunt, terminum olim habuisse, qvo non fuerint, & imposterum aliquando tempus esse adeptura, qvo non futura sint, quis saniorum hominum negabit? Sic habet suos qvæqve Resp. fatales terminos: *vid. Did. Saavedr. Symb. LX.* Sic scientiæ, sic artes suos habent inventores, cultores, osores, destructores. Haud secus est in rebus vilioris pretii. Aranearum telæ & pulveres, qvibus tamen nihil contemptius, initio & fine constant: Umbrâ qvid fugacius? Bullâ qvid brevius? Atomo quid minus? Et tamen incipiunt, crescunt, decrescent & pereunt. Homo (nam & ille umbrâ aut bullâ vix dignior habetur) itidem ab initio nascitur, vivit & demum moritur. Hæc autem cùm aliter sese habere non possint, haud incongruè aut ineptè quis fecerit, si in rerum origines, progressus & interitus inquisitio nem aliquantò accuratiorem instituerit. Vivere itaqve, nasci ac mori cum de actionibus qvoq; passim in jure prædicetur, ut *l.5. pr. D. d. O. & A. l.32. l.53. D. eod. &c* frustraneum laborem haud insumemus, si de *vita & morte actionum publicam instituamus συγγρησιν*. In Nativitatem autem gene-

A 2

rationem,

rationem, & procreationem qvoad conceptionem hâc vice  
disqviremus, adeoq; rem ab ovo qvâsi repeteimus: De uteri  
gestione, parturitione, vitâ, morte & interitu alio tempore,  
ubi commoda sese obtulerit occasio , dicturi.

§. I.

**N**E autem circa Vocabulum Actionis erremus, primò omnium  
præsciendum nobis est, Actionis Vocabulum in Jure nostro  
(nam de Logicâ, Ethicâ, Metaphysicâ aut Grammaticâ signi-  
ficatione non sumus solliciti ) variè considerari. I. Pro *Jure agendi*  
ipso (*Blag-Recht*) ut cum Celsus Actionem definit, qvod nihil sit  
aliud qvâm jus, qvod sibi debeatur, judicio perseqvendi. l. 51. D. d.O.  
& A. ita ut suo anibitu complectatur Actiones Réales, Mixtas & Per-  
sonales §. 2. I. d. A. II. Pro *formulâ agendi* (*Blag-Libell*) Et hoc  
significatu Actio dicitur formula certa, vel conceptio verborum, qvâ  
¶ Cti vel Prætores modum agendi in singulis causis præscribabant,  
qvam formulam præcisè & exactè observare oportebat, adeò ut ne  
syllabâ qvidem aberrare licuerit, nisi qvis causâ cadere velleret, vid. l.  
2. ¶ deinde ex his D. d. orig. jur. Cic. pro Cæcinnâ. qvas qvidem formu-  
las Imperator Constantinus radicitus amputavit l. 1. C. d. form. & im-  
petr. act. sublatas: Imperatores tamen Theodosius & Valentinus acti-  
onem l. sequ. eod. aptam rei & proposito negotio competentem vñ-  
luerunt: & consequeenter etiam de Jure novo hanc significationem  
adhuc locum habere probatur, & cum dicatur ejusmodi formulas  
hodiè esse sublatas, intelligendum hoc esse de operosâ illâ & super-  
stitionâ verborum solennium & syllabarum observatione, ( qvales  
hodie opifices & artifices nostri officinam intrantes qvilibet distin-  
etas qvasdam & solennes salutandi formulas habent, ) neve ulli  
prorsus non impetrata actionis exceptio detur. d. l. 2.

§. II. Utraque harum actionis significationum hâc nobis erit  
pro Objecto, & juxta propositum nostrum à nobis examinabitur, ita  
ut inquiramus, qvomodo unaq; qvæ actionis in Jure concipi dicatur,  
qvinam & qvot ejus sint progenitores, qvo tempore & modo fiant,  
& qvo pacto demum ad maturitatem suam & perfectionem vel de-  
structionem veniant & impediantur.

§. III.



¶. III. Non absurdè verò nativitates actionum cum partu hominis comparaverimus : Eosdem enim cum illo habent parentes (quia bruta, ut jam mox dicetur, nullas videmus parere actiones) qui si permanissent in primo felicitatis statu, uti tantos circa partum dolores, tantos labores & molestias, tanta pericula non fuissent experti ; ita quoque ne vocabulum quidem actionis audivissemus : Lapsò verò tam misere, eheu ! & deperdito genere humano, nequicia & discordia hominum, ut causa dolorosissimi partus fuit, sic utique fecit, ut ubique terrarum singulis ferè momentis plausta actionum in forum vehantur.

¶. IV. Nec tamen perstigit & acqvievit ratio humana in Judicialibus ipsis actionibus, sed indies novas formas edere depropavit, & etiamnum in lucem producit. Ipse Justinianus in compilatione Digestorum & Codicis potiorem & ampliorem partem tertio Juris objecto, Actionibus nim. assignavit. Nec tot & tantis milie actionum generibus contenta fuit extrema hominum malitia, ut eas sufficientes putaret, quibus, si quid importet incommodi aut injuria, propulsetur, sed spretis & nasci adiuncto suspensis Judiciis ac Tribunalibus, Jus sibi ipsi dicere per arma conata est : Imo cupiditas seipsam ulciscendi habendiique aliena insatiabilis in tantum excrevit, ut ne quidem salutaribus remediis actionum forensium refranari potuerit. Hinc ubi uno genere decertandi, quod proprium est homini & fit per disceptationem, uti non licuit : mox inventum est alterum illud, quod belluis competit, nim. per vim : Cic. l. Off. ortaque bella belluina, data male animatis hominibus peccandi facultas, & plerunque Magistratui connivendi necesitas, incensa privatorum praedia, deletae urbes, vastatae Provinciae, perdita Regna, multa millia hominum cæsa, spreta Religio, neglecta Scholæ, & quæ hujus generis bellorum incommoda possunt esse infinita, adeò ut non immerito exclamare cogamur cum Cic. l. 5. Fam. In vita nihil inest, nisi propagatio miserrimi temporis & actionum.

¶. V. Circa rationem igitur introductivam actionum per vestigandam non multum nobis erit laborandum : Qvis enim ex jam dictis non videt, quid avaritia hominum & vindicta propria non importet mali & incommodi : Et nisi actionum metu improborum coercentur audacia, formidatisque suppliciis nocendi re-

frænetur licentia; nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec societas, nec hominum universum genus confisteret: sed nil nisi qviritationes, tumultus, turbas, spoliations, latrocinia & deprædatio-nes universo in mundo deprehenderes, qvid v[e] meum, qvid v[e] tuum, nescires. Sive autem rationem omnium Gentium, sive Romanorum, sive certæ cuiusdam civitatis aut communionis consules, in hac materiâ unum idemq[ue] responsum obtinebis.

¶. VI. Etsi enim æqua ratiocinatio aut discursus non omnibus sit idem & communis, sed qvot sint capita, tot sensus, adeo ut qvod his justissimum, aliis contrà injustissimum videatur: hoc tam en in passu, paucis singularibus ingenii dissentientibus, uno ore cum Callistrato & decreto D. Marci Imper. statuunt: Optimum esse, ut si qvas putas te habere petitiones, actionibus experiaris *l. ex-tat. 13. D. quod met. cauf.*

¶. VII. Magna qvidem reorum & debitorum est perfidia, ut recte hinc dixerit Theophilus *princ. I. d. Aet.* Actiones esse comparatas adversus perfidos; sed actorum sapissimè non minor, qvippe animadverentes, tam religiosos qvosdam esse litium execratores, ut malint qvamvis pati injuriam qvam contendere; Eò animosius & impudentius Judices compellant, dicamq[ue] scribunt aduersariis: tantāq[ue] inverecundiā, ut cum sciant, debitorem soluisse, solidum tamen & plus perverse & subdolè, quantumvis conscientiā aliud dictante, petere ausint.

¶. VIII. Necusq[ue] adeo necessarium esse longius nos in causâ actionum explicandâ detineri: Qvæ enim de illâ fusiū es-sent agenda, evidenter patebunt, qvando jam ad ipsam actionum conceptionem & nativitatem pervenerimus.

¶. IX. Circa nativitatem verò hominis Medici solent tria obseruare: Tempus nim. conceptionis: Uteri gestions: & exclu-sionis seu parturitionis. De conceptione hoc loci dicemus. Ad conceptionem igitur primò reqviruntur parentes, qui concipiunt: Notandum, Parentes alios esse gradu remotiori, alios propinquiori. Hi in conceptione actioniū sunt Dominum, vel potius possessio aut de-tentio rei alienæ vel hypothecatæ, omnisq[ue] generis obligations, & æquitatis observationes. Illi sunt soli homines, nativitate ex eis con-tractus veri vel quasi, aut delicta vel quasi.

¶. X.



¶. X. Dixi Parentes remittos actionum solos esse homines, non verò bruta. Brutis enim & quadrumpedibus in Jure Civili nullus conceditur locus, qvōd non sint animalia Civilia ut homines, nec injuriam aut damnum propriè facere, nec contrahere &c. possint. Et qvamvis dāmni vel potius pauperiei existant cāusæ, dāmnum verò pariat actionem; Causæ tamen dāmni non sunt Morales aut Civiles, qvæ hoc loco potissimum sunt attendendæ, sed tantum Naturales & Physicæ, utpote si equus calcitrosus calce percussérit, aut bos cornu petere solitus petierit, propriè dāmnum, qvōd in juriā facientis datum est, appellati neqvit. Nec enim potest animal injuriā fecisse dici, qvōd sensu caret. princ. I. s̄ quadrupes l. 1. §. 3. D. eod. Sed dāmni illatio potius est penes dominum quadrumpedis.

¶. XI. Ideoqve actiones progenrandi facultas, qvōd concernit animalia, soli competit homini. Soli qvidem; sed non omni. Qyia eādem ferē generandi actiones impotentia servi laborant, qvā bruta, utpote qvi, qvōd Ius Civile attinet, pro nullis habentur, l. 32. D. d. R. J. servitusqve mortalitati ferē comparatur, l. 209. D. eod. neq; obligantur l. 22. eod. neqve posideant l. 118. eod. & per conseqvens, nullā cum eis sit actio passiva l. 107. eod. (cuni qvocunqve verò est actio, eum semper existere actionis contra eum datæ parentem vel causam: Et contra: nemo inficias ibit.) Distinguendum tamen est inter actiones ex factis licitis & actiones ex factis illicitis. Illarum actionum qvamvis servus non posfit esse parens: harum tamen esse potest: Et cum d. l. 22. D. de R. J. Ulpianus dicat, in personam servilem nullam cadere obligationem, subintelligenda hīc sunt actiones ex factis licitis. Id qvōd manifestò pater ex l. 14. D. d. O. & A. ubi idem Ulpianus regulæ huic addit limitationem: Servi, inqviens, ex delictis qvidem obligantur, & si manūmittantur, obligati remanent: Ex contractibus autem civiliter non obligantur, sed naturaliter & obligantur, & obligant. Parentes itaqve servi possunt esse ex delictis fel. publicis: v. g. homicidio, adulterio, vi publicâ vel privatâ, rapto plagi. De his enim ipse servus tenetur & puniri potest, non autem Dominus ejus, l. 17. §. noxas, 18. D. d. Ædil. edit. l. 3. & 4. C. d. noxal. act. l. 4. & l. 8. C. ad L. J. d. vi publicâ & privatâ: qvia in publicis Judiciis agitur de poenâ corporali infligendâ ad vindictam publicam, & hujus etiam poenâ servus est capax, cùm habeat corpus & vitam, li-

cet



cet bona non habeat. In delictis verò privatis ferè agitur de dāmno  
rei familiæ sarcendo, qvod facere non potest servus, cùm nihil pro-  
prii habeat qvod solvat, unde Dominus ejus tenetur aut in solidum  
aut servum noxæ dedere l. i. D. d. nox. att. qvia noxa caput seqvi-  
tur. l. fin. D. eod.

¶. XII. Secus hoc obtinet in filiosam. Nam is actiones tam  
ex factis licitis qvam ex illicitis generare potest. Ex contractibus  
enim obligatur naturaliter & civiliter in solidum l. filiusf. 39. D. d. O.  
& A. l. si quis. 44. l. 45. D. d. pecul. & nisi solverit bonisve cesserit, in  
carcerem conjici & tantis per in eo detineri potest, donec solverit L  
penult. C. qui bonis ced. possunt, in quâ lege injuria significat carceris in-  
juriam, vid. l. i. eod.

¶. XIII. Excipe actionem ex contractu pecuniae mutuae.  
Nam ex Scto Macedoniano ei, qvi filiosam mutuam pecuniam de-  
dit, etiam post mortem Parentis ejus, cuius in potestate fuit, actio pe-  
titioqve non datur l. i. D. ad Sctum Maced. Actiones verò ex male-  
ficio procreare filiusf. potest. Et qvanquam olim filiosam. à patri-  
bus noxæ dabantur. l. s. ¶. pen. D. d. O. & A. ¶. ult. I. d. nox. att. l. 3.  
¶. i. D. de libero hom. exhib. Tamen hoc hodie amplius non obtinet,  
sed noxales actiones in servos tantum proponuntur, l. pen. C. d. furt.  
non filiosam: qvia pro suis delictis ipsi conveniri possunt. ¶. ult. I. d.  
nox. att. l. i. ¶. si filiusf. D. de his qvi effud. vel dej.

¶. XIV. Pupillum qvod attinet, negandum non est, contra-  
etu eum obligari naturaliter non civiliter, l. s. D. d. aut. tut. unde de  
actiones generandi potentia non immerito dubitari poterit: sed  
Constitutione D. Più specialiter ex hac obligatione naturali nascitur  
actio d. l. s. cùm alias ex naturali obligatione in Jure Civili actio  
nulla detur, uti supra fuit ostensum. Obtinet hoc in contractu: In  
qs. contractu verò, sive ex re non naturaliter tantum, sed etiam ci-  
viliter obligatur, etiamsi tutor non consenserit l. 46. D. de O. & A. Nam  
ex vero contractu nemo obligatur, nisi qvi consensit, l. i. D. d. p. att.  
In qs. contractibus verò conventione certa non est opus, sed re &  
fictione consistunt, & ignorantibus etiam nos obligant, l. si quis. 2. D. de  
neg. gest. cùm veri contractus solo consensu non consistant, & vel verba  
vel literas vel realem interventum desiderent l. 4 D. de O. & A. Sicq; Pu-  
pillus Pater est actionum ex factis licitis; siqvidem nim. conditionem  
suam



nam fecit meliorem & est ad consentiendum naturaliter capax:  
Nec minus ex illicitis: si proximus pubertati sit, & ob id intelligat  
se delinquerere §. insumma. 18. l. d. O. q̄e ex delict. l. pupillum 111. D. d.  
R. J. l. impuberem. 23. l. nec minus. 24. D. defurt. adeoq̄e (hāc quidem  
sententiā stante, q̄vis sit infantiae vel pubertati proximus) ex malitia  
potius & doli capacitate arbitrio Judicis statuendum puto, argumen-  
to l. 4. §. 26. D. de dol. mal. except.

§. XV. Minores qvoq̄e cum possideant, & obligentur, et-  
iam civiliter l. 101. D. d. V. O. l. 3. C. d. in integr. ref. dubium non est,  
q̄uin ad procreandas actiones q̄qvè sint apti ac pupilli: alias plus  
concederetur minoribus qvām pupillis, qvod esset absurdum, adeoq;  
si ex crimine obligatur pupillus, qvantò magis & minor, utpote per-  
fectioris & ætatis & Judicij obligatus esse dicetur?

§. XVI. Qvia ad contractum perficiendum reqviritur usus  
rationis, ut paulo ante dictum: Furiosi autem nullus sit consensus,  
nulla voluntas l. furios. 40. D. de R. J. l. 2. C. d. contr. empt. & per omnia,  
& in omnibus absentis, qviescentis, dormientis & ignorantis loco  
habeatur l. 2. §. pen. D. d. jur. codicill. l. ubi non voce. 124. D. d. R. J. l. 2.  
§ furiosus D. d. acquir. poss. omnīq̄e intellectu careat l. Divus Marcus  
14. D. d. off. Präsid. certum est, nullum eum posse contrahere negotium  
l. in negotiis D. de R. J. Et hinc videtur dicendum, actionum ex con-  
tractu eum parentem esse non posse: sed placuit contraria sententia  
existimantium, si per seipsum obligari aut contrahere non potest,  
posset tamen contrahere per curatorem, & per consequens obligari.  
Qvod qvis enim fecit per alios, idipse fecisse putandus est; Sic servus  
aut filius fam. iussu Domini aut Patris contrahens non seipsum obli-  
gat, sed Dominum aut Patrem tot. tit. I. per quas pers. nob. acquir: Id-  
eoq̄e cūm furiosus per Curatorem suum obligetur, certo certius est,  
dari contra curatorem nomine Principalis sui actionem, etiam ex  
contractu vero. Cæterum ex qvæsi contractu dubium non est, q̄uin  
obligetur civiliter furiosus, etiam sine Curatore l. 46 D. d. O. & A.  
Ex delicto eum obligari negatur, qvia cum nullum habeat sensum,  
nullamq̄e voluntatem, ut jam probatum est non videtur aliq̄uid cul-  
pæ facere, qvæ nullo modo à criminibus abesse potest. Si modo fu-  
torem ejus esse continuum, nec habere intervalla apparuerit. Qvale  
habetur exemplum in l. Divus Marcus 14. D. d. offic. Präsid. Confide-

raudus enim est ut furiosus, qvā illo tempore quo furor remittit, & ipse contrahere potest, si sit major l.i. C. d. contr. empt. & hinc multo magis ex delicto obligari d. l. 14.

¶. XVII. Nec homines tantum privati Parentes sunt actionum, sed habent quoque certis in casibus hanc potentiam LL. ex dispositione Nomothetarum, citra factum committendum, & propter omissionem eorum quae non omittere, sed agere & observare debueramus, LLbūs sic volentibus & jubentibus. Sic Iudex datus per imprudentiam citra propositum & sub enixissimā voluntate, ius suum cuique tribuendi male judicat, & propter illud malum iudicium, in quantum de ea re aequaliter religioni judicantis videbitur, poenam sustinebit, quod sc̄ti dicunt liteni suam fecisse, & generatur exinde actio in factum Prætoria. Plura, qui volet, legat Exempla in tit. I. d. O. quae quae ex delicto nasc. 14. tot. lib. XXXI. nec non IX. D. &c.

¶. XIX. Ad generationem ex factis illicitis unica persona est sufficiens: Ad Actiones verò ex factis licitis generandas dux ad minimum personæ reqviruntur regulariter. In omni enim contractu necessariò desideratur causa reciproca, quae si non adsit, negocio illud pacti nudi nomine potius quam contractus venerit. Nec unum Relatum absque altero esse potest; Sic creditor, quamvis mutuam pecuniam dando ipsi non nascatur obligatio ex debito, si ne ejus tamen facto debitor nequicquam obligari, immo ne fieri quidem poterit, & nascitur nihilominus hoc contractu creditori haec obligatio, ut teneatur pecuniam mutuam datam eam quantitate, qualitate & valore ingenere recipere. Nil igitur impedit, quod minus & creditor actionum Paren̄s dicatur, et si non illius actionis, quam generat debitor, & per consequens dicendum foret, hujus actionis unum saltem Parentem existere, ex regulâ, quam supra tradidit: Eum, contra quem datur actio, semper hujus actionis contra eum data existere Parentem & contrā. Sciendum tamen, actionem hanc natam esse ex unico negocio e.g. contractum mutui: hoc verò negocio per unicam personam geri nequit, sed necessariò ex duobus Parentibus ejusmodi contractus nascitur. Quemadmodum etiam actio directa semper habet penes se contrariam actionem, & ex factis licitis nunquam non nascuntur geminæ actiones: ita e.g. actio commo-



commodati directa, quanquam non detur contra commodatorem,  
& exinde non videatur hujus Paren's esse ; habet tamen penes fe  
actionem contrariam, quae datur contra commodatorem, eumque  
facit parentem : Atque hanc ratione in actionum ex factis licitis  
conceptione neuter parentum sc. contrahentium est ociosus.

¶. XIX. In factis vero illicitis pluralitas personarum non est  
necessaria, cum ad delictum aliquod committendum nullum opus sit  
causa reciprocā, & tale quid absque alterius facto perpetrare quis-  
que valeat. Et quanquam ad stuprum vel adulterium committen-  
dum duas personae concurrant : Tamen non semper adulterium pe-  
nes utramque personam est : Quid enim si quis adulter matronam  
aliquam honestam vi & invitam compresserit ? Tunc utique dicen-  
dum, unicam saltem personam adulterium commisisse, nec ullam da-  
ri contra matronam actionem.

¶. XX. Actionum quoque mixtarum conceptionem duos  
requiri Parentes, appareat : Quia in Judicio familiae herciscundae prae-  
supponitur coheres : In communione dividendo socius : In finium re-  
gundorum vicinus. Qvorum omnium unus absque altero actionem  
mixtam generare non valet. Deinde haec actiones non tantum in  
rem dantur, sed etiam in personam : Actiones autem omnes personales,  
quaes descendunt ex factis licitis, uti jam satis fuit declaratum,  
semper pluralitatem Parentum desiderant.

¶. XXI. Ad actiones Reales concipiendas unica persona suf-  
ficit. Si enim detentio sive possessio rei alienae est causa actionis  
Realis ; unicus autem rem alienam detinere possit, longiori & o-  
perosiori probatione supersedebo. Cum autem, quod necessarium de  
Parentibus, (qui primum conceptionis sunt requisitum) actionum  
dicendum esset, nihil restare videatur, opera pretium erit, ut, quid &  
quomodo a Parentibus concipiatur, generaliter & breviter expona-  
mus. Distinximus supra inter parentes actionum remotos & pro-  
ximos : Hos diximus esse omnis generis obligations, itemque rei  
alienae detentionem, & aequitatem. Illos vero homines, & ex iis-  
dem natu vel contractus veri & quasi, vel delicta vera & quasi. Cum-  
que de hominibus satis sit dictum, ad eorum filios, actionum vero  
parentes propinquiores nos accingemus, & quomodo ab homini-  
bus concipiuntur & generentur, demonstratum ibimus.

¶. XXII. Intentiones & mentes contrahentium hic nobis erunt pro fœtu in factis licitis: In illicitis propositum & animus delinqvendi. Ut res reddatur lucidior, ostendemus breviter in exemplo delicti, ubi objectum alicui occurrit jucundum, sed illicitum, quod sit uxor aliena, aut res furtiva aut simile.

¶. XXIII. Præmonendum autem, omne factum esse vel voluntarium, quod descendit ex motu secundo, durabili, sciente omnes facti circumstantias morales: vel involuntarium seu invitum, descendens ex affectu seu motu primo, involuntario, subitaneo, nondum examinatis facti circumstantiis (ut ita liceat loqui) moralizantibus. Hoc actum voluntatis præcedit, illud sequitur.

¶. XXIV. Objectum ergo hoc, e. g. uxor aliena aut res persertum auferenda sistit se sensu externo: hic transmittit & recondit objectum illud in arcum sensuum communium: Ubi illud offendens Phantasia repræsentat potentia appetitus sensitivi, quæ transit in affectum seu motum primum, absqve voluntate fruendi objecto dato. Qui motus primi sunt seminis instar, ex quo formatur delictum.

¶. XXV. Quemadmodum autem sola conceptio seminis ad procreationem corporis non facit: quia multa sæpe coincidunt impedimenta, quæ formationem partis prohibere possunt: Ita cum ejusmodi motus primi in homine excitantur; civiliter delictum nondum est natum, sed dispositio saltē ad illud perficiendum. Ratio hæc est, quia motus primi non sunt in potestate nostrâ, cum actum voluntatis nostræ præcedant, nec posse in eos voluntas dominari: ut in furioso nulla est voluntas. *I. furiosi 40. D. de R. 7. nullum ergo dicitur posse committere delictum, quia objecta jucunda sensibus transmissa per Phantasiam, saltim traduntur potentia appetitus sensitivi, & inde excitantur motus primi; cum alias apud sanæ mentis homines Phantasia objectum sibi oblatum transmittat potentia, non tantum appetitus sensitivi, sed etiam intellectivæ, ut paup. p. post sumus audituri.* Cum itaqve furiosus nullum plane habeat intellectum, objectum illud cogitur in affectu primo acqviescere. Maleficium autem voluntas & propositum delinquentis distinguit, *153. D. d. furt.* Hinc etiam impubes non dicitur furtum facere, nisi doli capax sit, *I. impuberem 23. D. d. furt.* intelligatve se delinqvere *¶. 18. I. de O. quæ ex del. nasc.*

¶. XXVI.



**Q. XXVI.** Omne enim factum involuntarum, aut est violentum  
aut imprudens: Et tale imprudens factum committit pupillus, cum  
nescit se delinquerere: Qvia inter alia prudentis est, ut in mediis per-  
veniendi ad finem & scopum investigandis recto & justo utatur ju-  
dicio, eaqve secundum circumstantias, qvæ facto aliquam possint  
superaddere moralitatem, diligenter examinet, & pro experientia  
sua de bonitate & malitia scite judicet. Jam vero, cum objectum il-  
lud à Phantasiâ non transfertur ad intellectum, ut is mediante ratio-  
ne consultet aut deliberet: Ilicet fit factum imprudens, & per conse-  
quens invitum, qvia palatum voluntatis introire destituitur.

**Q. XXVII.** Econtra violentum factum committere potest  
vir alias prudentissimus: qvia hoc sit externâ aliquâ vi, cui resistere  
non potest, e. g. in virgine vel matronâ stuprum vel adulterium  
vi conimissum; qvia hoc in casu virgo stuprum admittendo se delin-  
quere non quidem ignorat, vim tamen externam per naturam nec  
repellere, nec qvò minus stuprum patiatur, prohibere potest. Et  
ejusmodi quidem factum violentum voluntatis actum interdum non  
antecedit, cum dixerim, in prudentissimum quemque incidere; A-  
ctum tamen voluntatis seqvi cum maxime vellet, non potest, qvia vo-  
luntas Virginis vi oppressa non hoc vult, ut corporis usum conce-  
dat, sed potius ut deneget.

**Q. XXIX.** Alia enim facta sunt contra voluntatem, ut ple-  
rumque violenta; ubi voluntati facta sunt contraria, ejusqve impe-  
rium planè respumt: Alia præter voluntatem vel sine voluntate, ut  
imprudentia: ubi facta omni voluntate & intentione destituuntur.  
Hæc igitur ut subitanea & violenta sunt instar molarum indigesta-  
rum & crudium carnium, nec maturitatem partis assequuntur, sed  
partus in ipsâ conceptione corrumpitur, nec embrio remanet.

**Q. XXX.** Cum vero Phantasia objectum illud jucundum  
transmittit potentia intellectiva, hæc transit in contemplationem,  
& judicat objectum vel bonum, qvia jucundum, vel malum, qvia illi-  
citum: Sic utrumque representat voluntati. Huic tanquam Re-  
ginæ alicui potenti ab utroque solii latere adstant consiliarii duo  
inter se dissentientes, sensus & ratio, inter quos maxima tunc ori-  
tur pugna. Sensus dictat: Appete; Ratio ab alterâ parte: Fuge.

Voluntas utitur libertate & potestate sua Regia, litem dirimit, alteri horum sese ad jungendo: Vel sensui, è quo accessu, dum appetitus sensitivus vincit rationem, fetus noster in utero recipit sanguines & sumit increbenta, & sic in factis illicitis venit animus & propositum delinqvendi malum: in licitis vero intentio & mens contrahendi: Et haec sunt, quæ factis præbent succum & sanguinem, ex iisque omnia facta, sive licita, sive illicita ponderantur & estimantur, & quod major deliberatio & voluntas præcesserit, hoc gravius nascitur delictum.

¶. XXX. Sic ingrediens domum alienam, aut veniens in Urbe tempore iundinatum non animo mercandi, sed proposito furandi, proæræticè, ut aleones, severiore anima dversione dignus ac ille, quem saltem occasio per accidens fecit furem. Obiter incidens in crimen adulterii vel incesti (ut, Loth sine intentione incestum committendi præviâ, vino obrutus, rem illicitam habuit) haud dubie minus peccat, minoremque meretur poenam, quam qui amoris astro percitus cum Rege David de explendâ libidine cum Bathsebâ, non solum concepit malas cogitationes, sed etiam ut desiderii sui compos reddatur, omnem cum Sypho infernali volvit ac movet lapidem.

¶. XXXI. Voluntariò enim & præmeditatè commissa, ut durabiliora sunt, sic quoque graviora. In consulta vero ut subitanea, ita leviora. Haec quasi è pumice elicantur, illa sub cinere latitant, & singulis momentis incrementa sumunt, & tandem in flamas occasione commodâ oblatâ erumpunt, majorique cum impetu, ut fistulae diu interclusæ turbidiorem & impuriorem aquam emittunt: Illa dolorum, haec culpam aliquam inferunt & præsupponunt.

¶. XXXII. Sic contractus mente contrahentium quidem concipiuntur, attamen quidam ad maturitatem non perveniunt, quidam ad ipsam conceptionem nascuntur, e. g. si contrahentes de re quidem aliquam convenerint, in modum vero contrahendi eundem dissenserint, contractus ad perfectionem suam venire haud poterit: Quod autem deliberatus in utero geruntur, eò firmiores deinceps & duriores excludi solent.

¶. XXXIII. Actiones vero Reales concipimus, quam primum

mum de modis acq̄virendi aut detinendi rem alienam occupati sumus. Sic cum quis rem alienam bonā fide vendiderit, emptor eo ipso, quo rem illam bonā fidē emit, usucaptionem concipit, conceptam per continuationem possessionis temporis lege definiti in utero gerit, asservat & alit, quousque tandem partus excludatur, Dominōq̄e tempore & termino possessionis, vel nondum absoluto nascatur rei vindicatio, vel absoluto quidem, absenti Domino actio Publiciana §. 4. I. de AA. Hanc secus se res habet in aliis actionum realium generibus, e. g. in hypothecariā, Paulianā, Servianā, &c. vid. libros ff. V. VI. VII. IX.

§. XXXIV. In Actionibus mixtis, e. g. cum aditur hereditas, tempore quidem aditae hereditatis nondum est nata actio, sed tum demum, cum dividenda hereditate coheredes invicem altercantur.

§. XXXV. In contractibus vero non illico datur actio, cum contraxit, sed tanti per inutero geritur, dum existente conditione aut die veniente, si quis quod dare vel facere tenetur, non praestat. Dum enim duo vel plures in idem placitum consentiunt, contractus nascitur, non vero obligatio, nisi demum existente conditione & tempore &c. Quia nata & perfecta, actionem tandem, nisi praestetur quod debetur, generat: Quā de re alia occasione & tempore differemus.

§. XXXVI. In factis illicitis nudā voluntate aut proposito non nascitur delictum: nisi prius delinqvens in effectum deduxerit id, quod moliebatur, adeoque partus diu multum q̄ue in utero asservatus & nutritus excludatur, & generetur grave & enorme delictum. l. i. §. ait Prator. 3. D. ne quid in flum. l. pen. §. docere. D. N quis eum qui in jus vocatus, vi eximat. Sic furtum, quatenus furtum sine contrectatione non committitur, tametsi vel universum decennium de committendo furto deliberaveris.

§. XXXVII. Unde etiam in maleficiis poenitentiae (scil. temporalis legitimae aut civilis) est locus, & possumus impune & licet abire a cogitationibus malis, nisi eas ad effectum perduxerimus. Quia in Judice terrestri tanta perspicacitas non est, ut posit intimos hominum conceptus se non ad extra conferentes, sed in penetrali-



tralibus mentis & cordis remanentes rimari aut perscrutari. Abdita enim & abscondita ejusmodi cognoscere conscientisqve imperare, solus sibi Deus, qui est καρδιογνώσης & ἀνδινοῦ οὐρανοῦ habet, reservavit. Nec de Jure Gentium spurcarum & damnatarum cogitationum in mente reservatarum poenam patimur. *I. cogitationis* 18. *D. de paenit.* Sic accepta *I. ult. D. ad L. Corn. de sciar.* ubi dicitur in maleficiis voluntatem non exitum spectari, non obstante eo, quod non spectetur exitus sine voluntate, juxta *I. i. §. 3 D. & I. 7 C. d. t.*

¶. XXXVIII. Ut, quod in limine disputationis nostræ promisimus, exequamur, restat, ut ultimo videamus progenitores actionum pro formulis acceptarum. De Jure itaque antiquo earum Parentes erat Collegium Pontificum. Qui enim Jus sibi esse existabant persequendi in iudicio, quod sibi debetur, tenebantur adire Pontifices, & ab illis petere formulas. Tempore deinde media Jurisprudentia Jus dicentes acturis formulas praescribebant: Atque hinc nata est locutio illa usitatisima in edictis Praetorini: Judicium dabo. Postmodum tempore Jurisprudentiae novæ formulæ quidem solennes circa annum CHRISTI 343, sublatæ: Impetratio vero formulorum & præscriptio adhuc in usu forensi remansit, & duravit ferme per centennium post formulorum sublationem, nam proprio studio & Marte, ex quo tempore unicuique concipiendi libellum potestas est facta *I. 2. C. d. form. & impetr. sublat.*

¶. XXXIX. Sive autem à Collegio Pontificum, vel à Jus dicentibus ut Praetoribus, Aedilibus, Pro-Consulibus, Praesidibus, sive ab ipsa parte, sive ab Advocate & JCTo experientissimo libelli editi; attamen in mente ipsa prius fuerunt conceptæ. Ex his orta est distinctio Dd. inter actiones natas & datas: Natæ dicuntur, quando vocabulum actionis sumitur pro Jure agendi: Datæ, quando pro formulâ.

¶. XL. Et hæc sunt, B. L. quæ de conceptione Actionum in presentium simplicissimè tradere volui. Potuisse eqvidem simul demonstrare, quomodo Actiones circa personas, i.e. præjudiciales; It. circa Possessiones, ex Interdictis progredientes, nec non persecutions ex æquitate & nobili Judicis officio fluentes generentur, sed quia ejusmodi actionum species improposito veniunt nomine, meritò in signi-



in significatione propriâ acqiesco. Qvod ingenioli mei tenuitas in hâc materiâ tam splendida discutiendâ Tibi præstitit, siquidem non præstitit, ut debuit, præstitit tamen ut potuit.

Tu animum meum bonum beni  
qvæso consule.

Soli DEO Gloria!



Als lich jenen Helden-Wuth/den Themistocles  
nicht schlaffen? (Wassen  
Warumb seufzte Julius/ als er von den Krieges-  
Alexanders hat vernommen? warumb flagte die-  
ser Held/

Als ihm von den Weisen einer noch von einer an-  
dern Welt

Ziemlich hatte vorgeschwahzt? was hat diese doch  
beweget

Zu dergleichen Traurigkeit? was hat ihren Geist  
erreget?

Nichts/nichts als die Ruhm-begierde/die hat auch  
den Hannibal

So die Sinnen eingenommen/ daß er endlich über-  
Nur auf ewigs Lob gedacht/ und dasselbe zu erlangen  
Ist er allem Ungemach trozig unter Augen gangen/  
Und oft nach erlangtem Siege zu den Seinigen  
gesagt:

Nehmet hin die ganze Beute/nichts als Ehre mir  
behagt.

C

Und

Und das eben ist / mein Freund / das dein Herz hat  
eingenommen:

Dann / so bald dich dieses Rund in die weite Schoss  
bekommen /

Waren deine Götter-Sinnen nur auf Ewigkeit  
gericht /

Auch in deiner zarten Jugend hast du bald auf Ruhm  
gedichtet.

Und gleich wie ein Löwe thut / wenn er durch die jungen  
Klauen

Täglich mehr ermuntert wird / also ließest du dich  
schauen

Bald in deinen ersten Jahren / bis dein rechter  
Himmel-Geist

Endlich durch die rauhen Lüfte zu den Wolken ist  
gereist.

Ihr gibst du keinen nach. Haben jener Helden-Thate  
Sich der Ewigkeit vermahlt ; so kan ich dein Thun  
und Rathen

Auch den Federn einverleiben ; wird doch besser  
durch Verstand

Als durch Waffen oft beschützt eine Stadt / ja  
ganzes Land.

Läß Justinianus nur unsern Trost / ja unser Leben  
Einig dir besohlen seyn. Er wird dir gewißlich geben /

(a) Womit er die lieben Seinen ihm zu folgen an-  
vermahnt..

(a) Proem, Inst. S. ult.

Geh

Geh nur in dich und erwege/ die Ihn haben nach  
geahnt/

(b) Ob sie nicht als große Eichter mit dem Glanze  
ihrer Gaben

Alle Land un Regimenter völlig überstralet haben &  
(c) Geh nur in dich/ wie die Hämpter dieser Welt

uns zugethan/

Wie sie sich/ ja Land und Leute unsern Schultern  
trauen an.

Nun geh ferner diese Bahn/ dann du hast ja bald ers  
stiegen

Den begehrten Ehren-Thron/ dein Ruhm kan nicht  
unterliegen.

Läß dich keine Sturm erschrecken/ was du hoffest/  
ist nicht weit/

Selig/ wer so zu kan bringē seine zarte Frühlings-  
Zeit.

(b) Authent. Habita C. Nefilius pro patre in med. Qvorum scien-  
tia totus illuminatur mundus &c.

(c) Spartanus refert, quod Imperatorum Trajanus Neratio Priso  
¶ Cro aliquando dixerit: Commendamus Vobis, Nerati! Provincias,  
¶ quid Nobis fatale contigerit.

Aus Antrieb treuer Freundschaft  
schrieb dieses glückwünschend

Johann-Christoph Hafe  
von Budissin.

Jam


**J**am surgunt segetes, redeunt sua gramina campis,  
Surgit & ingeniis nostris sua pristina forma,  
Haud eqvidem turpi te jam torpescere cœno,  
Curantem, qvicq; dignum sapiente bonoq; est,  
Alma sinit virtus, sed sapius incitat ultrò:  
Ut tradas, actus humani quæ sit origo.  
Nonne vides, tibi qvem promittant sydera censum,  
Si tot in hoc ludo, qvot adhuc, exegeris annos?  
Nunc fatis accede tuis, nostroq; favori,  
Nam haveo, semperq; novis successibus insta.  
Cresce diu, Sophiæ Mystra, & spes maxima cresce,  
Quæ tibi lata favet, Patriæ: victuraq; Canas  
Laurea ferta Comas, & candida tempora cingant,  
Virtutemq; colas, votivâ mente precamur.

Debiti amoris & observantiae ergò  
apposuit

JOHANNES-ESAIAS ab HARTIG.

F I N I S.

00 A 6330




Freiherr v. Ende-Silfessnitz.



3

Vd 17

Rebov




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-371445-p0026-1

DFG

**Farbkarte #13**



D. O. M. A.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**CONCEPTIONE**  
**ACTIONUM PRO-**  
**PTER RES,**

*Quam,*

Consentiente,

**MAGNIFICO ET SPLENDIDISSIMO JCTORUM**  
**LIPSIENSIVM COLLEGIO,**

Manuductore & Præside

**VIRO**

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, Consulissimo*

**DNO. QUIRINO SCHACHERO,**  
Phil. & J.U.D.P.P.P. Judicij Appellationum Electoris  
Saxonie Consiliario Gravissimo, Juridicæ Facultatis  
nec non Consistorii Ecclesiæ Lipsiensis

Seniore Spectatissimo,

Præceptore, Patrono & Promotore multis nomi-  
nibus colendo, venerando;

*Publico Eruditorum Examini submittit*

**JOHANNES-JACOBUS AB HARTIG, Sitta-Luf.**

*Auth. & Reß.*

In Auditorio Jctorum Petrino

*Ad diem X. Maii,*

*An. Cœ Ioc LX.*

*Typis RITZSCHIANIS.*